

1543

*Stephanus
Theupolus
classis im-
perator.*

*Paulus Ju-
stinianus &
Alexander
Bondime-
rius classis
legati.*

strui in Illyrico, & in Creta insula alias jussit, ut universæ simul sexaginta essent. Imperator Stephanus Theupolus, vir multis, iisdemque egregiis pro Republica rebus gestis clarus, majoribus comitiis creatur; totius oræ maritimæ, atque insularum custodia injungitur, ne quid res, aut Reipublicæ subditi detrimenti patiantur, provideat; Jaderæ Paulum Justinianum, classis legatum, cum triremium manu adventantem, præstole-
tur, atque intra sinum Adriaticum se contineat. Alexander Bondimerius, alter legatus, Corcyræ cum quindecim selectis triremibus subsistere, atque ab iis se abstinere, quibus in Turcarum animis suspicio oboriri posset, jussus est.

*Chariade-
nus Brutio-
rum fines
depopula-
tur; Rhe-
gium occu-
pat.*

*Romæ
terror ob
Turcicam
classem.*

*Chariade-
nus Tholeni
portum in-
gressus Mas-
siliam profi-
ciscitur.*

*Francisci
Regis man-
dato classis
Niceam ag-
greditur.*

Dum hæc aguntur Turcarum classis centum ac viginti triremium, biremiumque quadraginta sub Chariadeni imperio Helleponto egreditur; in ea Polinus Regis legatus erat. Eubœæ per aliquot dies commorata, remige, milite auge-
tur, commeatibus instruitur. Inde ad Messanæ fretum con-
tendens, in Brutiorum litoribus milite exposito, prædas agit; cuncta vastat; Rhegium occupat, diripit, in servitutem Hispanos milites nonnullos, & multo plures Rhegii cives abducit. Mox cum Ostiam pervenisset, ut aquatione longe optima, quod eo in loco Tyberis amnis mari se insinuat, uteretur; cum illius rei nuntius Romam pervenisset, ingens adeo terror omnium animos occupavit, ut incondita, & consternata plebs metu sese ex urbe in vicina loca proriperet. Verum Polini literis, quibus hostile nihil Turcicam classem edituram significabat, urbs eo metu soluta est. Inde Hetrusca, & Ligustica litora legens, recta in Provinciam contendens, in Tholoni portum sese classis intulit: deinde a regia, quæ quatuor & viginti triremibus constabat, Massiliam deducta est: urbem Chariadenus, exquisitis honoribus, ac pompa exceptus, ingreditur. Polinus statim ad Regem contendit, ut illi mandata Aheneobarbi deferret, quem omnia ex ejus præscripto gerere Suleimanus jusserat. Is quamcelerrime Francisci decretum retulit, quo ag-
gredi Niceam, atque terra, marique oppugnari mandavit, quam urbem ejus majores belli necessitate, ac pecuniæ inopia coacti Sabaudia Duci oppignerati fuerant. Classem super triremes decem, & octo onerariarum navium, sex circiter peditum millibus, atque commeatu apprime instructam, Anghia-
no,